

fluum comminuant, ut piper, crocus, cinamomum, gingiber, cæpæ atque huiusmodi. Frixus quidam in sartagine vescuntur, alij exaliant, aut in patinis ex albo iure condunt, pauperumque mensas frequentius subeunt: asellis enim longè sunt inferiores.

## CAP V T XLVIII.

*De Mæna, & smaride.*

Mæna.

Vires.  
smaris.

Vires.

**P**iscis est Mæna qui herbosis littoribus gaudet, ac *Menoba* ab Italibz dicitur, atque smaridi persimilis, latior tamen ac breuior, nec non rectam lineam in lateribus habet, quæ in smaride est arcoata: lutei est coloris, & si aliquando lituris cyaneis conspersa appareat, breve habet caput, osque minimum, dum clausum tenet, dum verò hiat, magnum ostendit. Iris oculorum subruber est, squamis tenuioribus contingit, & dum desquamatur, albissima, atque argentea appet: pinnæ quæ dorso incumbit, duodecim aculeis riget. Fœcundissimus autem est piscis, atque præstantior, dum vterum gerit, gobionibz que præfert Hiceius succi bonitate, licet non adeò gustui gratus, nec minus ventrem subducit: sub craticula assus, vel in sartagine frixus ex arancij succo conditus, ut plurimum comedì solet, parum tamen nutrit, nec multum excrementi præbet. Smaris quoque littoralis est quem Romani *spigarum* vocant, corpore penè est tereti, & minori quām mæna, squamis verò ea latioribus tegitur, lineam à capite ad caudam habet arcuatam, & caput longiusculum, atque hoc ei peculiare est, vt cum os aperit, labra exerit, tanquam ex tubo pixidatim infarcto, ut Bellonius refert: eius color ex cyaneo hilari in argenteum micat, tergore obscuriore, & ventre candidiore, caudam bifurcam gerit, atque vnicam in dorso pinnam: Bocæque adeò est persimilis, vt vix fermè distingui possint, carnem habet smaris candidam, boni succi, & facilis coctionis, paucique excrementi, quæ tum frixa, tum elixa ori non ingrata est, cuius iuscum ventrem subducere ferunt, suntque nonnulli qui ea de causa interdum ægrotis exhibent, multa quoque ex ea parantur medicamenta, quæ Dioscorides connumerat capite proprio de smaride: solet etiam sale condiri, qui à bibacibus maximè expenditur, palatum enim atque os stimulat, & sitim la- cescit.

## CAP V T XLIX.

*De Erythrino sive rubellione, bocē, & salpa.*

Erythrinus.

**E**rythrinus sive rubellio piscis est mari- nus, potius littoralis, quām pelagius, quem Romani *fragolinum* appellant, cuius corporis figura aurata non est absimilis, squamis tegitur frequentibus, & valde inter se coniunctis, ventre est subalbido, capite ar-

genteo, corpore vero reliquo tubescente, rostro acuto, & capite vtrinque compresso, ore paruo mediocribus dentibus munito, oculis magnis ac latis, & branchias vtrinque quaternas habet: In dorso vnicam pinna longa, & aculeis multis horrida erigitur, alteraque longè minor ventri hæret, caudam bifurcam, atque vt plurimum lapides in capite gerit. Eiusque magnitudo palmi mensuram perarrò excedit. In quo genere matrem non reperi affirmat Aristoteles, quotiam omnes qui capiuntur oua in vtero ferre compieruntur. Carniuorus est piscis atque gregalis, & sèpè cancellis, & minutis crustatis pascitur: suauissimus est atque ab omnibus vbiique nobilissimus censetur piscis, cuius caro satis tenera, atque friabilis est, propterea boni succi, concoctu facilis, & multi nutrimenti, quæ etiæ omni tempore iucunda sit, hyeme tamen præstantior habetur, & frixa potius quām elixa, & præcipue si arancij mali succo, ac modico pipere conditatur. Ferunt nonnulli Rubellionem Venerem concitare, atque in vi- no putrefactum iis qui biberint, tædium vini afferre. Boces autem sive Boopes littoralis est piscis, quem Romæ *Bogam* vocant in cuius foro piscario canistra *bocidibres*, trachuris triglis, atque huiusmodi cumulata sèpè conspiciuntur, & vulgus vno nomine fricturam appellat, eo quod ob paruitatem in sartagine feruenti oleo frigi soleant. Est ergo Boces piscis perpetuò parvus, teres, cuius color hilari veluti aureo fulgore nitet, vt tergora colore ad aurum inclinante micare creas, crassiori capite constat pro corporis magnitudine, oculosque grandes habet, squamis contingit, atque duos oblongos calculos in capite gerit, carnem non admodum duram habet, ob id nec concoctu difficultem, nec mali succi, imò si elixerit ius eius aluum emollit, atque ea de causa ægrotatibus interdum con- ceditur: elixus enim boces probè conficitur, & parum excrementi generat, ac pinnis coctus mollior, ac sapidior efficitur, & sic moderatè frixus, omnino verè assus aridior redit, multis modis paratur, & ex gelu conseruatur, ac sale condit, qui & aureum quoque colorem retinet, qui coctus, atque sale spersus, foliisque laurinis complicatus diu afferuatur. Salpa equidem littoralis est, atque in maritimis etiam lacubus gignitur, sorbaque à Romanis vocatur, nullus verò piscium colore est pulchrior, ventre & latibus candida est, dorso ex cineraceo nigritat, & à capite in caudam per argentea latera nouem vtrinque aureis, rubentibusque lineis certis distinctis interuallis egregie depingitur: caput parvum & rotundum habet, rostrum acutum, os exiguum serratis dentibus munitum, oculi aurei conspicuntur, atque vnicam in dorso pinnam longiusculam, ac duodecim aculeis horridam habet, altera quæ ventri subest, ad caudam usque deducitur, branchias vtrinque quaternas, atque eas quidem geminas, caudam bifurcam, squamisque latis & varijs coloris contingit, cuius moles das raro excedit libras, stercore & alga, ac aliis fecidis vescitur cibis, ob id admodum vilis, & plebeus piscis vbiique censetur, nec solum ætate nostra, sed à veteribus

Notar.

Vires.

Boces.

Vires.

Salp.